

44
REGIA ACADEMIA ABOENSIS
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
**OBLIGATIONE
ERGA POSTEROS,**

QUAM

*Consens. Ampliſſimæ Facult. Philoſoph. In Regia
Academia Aboenſi,*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANNES
BILMARK,**

Hiſt. ac Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & Ordin.

Publico Examini modeſte ſubjicit

JOHANNES SUNDELIN,
Oſtrobotnienſis.

In AUDITORIO MAJORI Die VIII Aprilis
Anni MDCCLXXIII.

Horis Ante Meridiem Solitis.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

REGIÆ ACADEMIÆ SCIENTIARUM STOCKHOLMENSIS
SECRETARIO ATQUE MEMBRO, NEC NON
STELLÆ POLARIS EQUITI,

NOBILISSIMO

D: NO P E T R O
W A R G E N T I N,

Hanc Dissertationem dicat atque dedicat.

JOHANNES SUNDELIN,

Cultor humillimus
JOHANNES SUNDELIN.

Borgaren och Handelsmannen uti Sjö- och Stapel- Staden
Björneborg,

Sögwålaftad

Herr OLOF SUNDELIN,

Min Huldaste Fader,

Andteligen har den dagen upklarat, på hwilken jag får offentlig-
teligen aflägga en wördnadshull tacksågelse för de otaliga af
Eder, Min Huldaste Fader, mig bewista wälgjörnins-
gar. I hafwen alltid med en Faderlig ömhet, om icke efter E-
der önskan, dock öfwer Edra wilkor, arbetat för mit wäl. Hwem
skulle jag derföre med större skjal kunna tillskrifwa detta mit för-
sta Academiska arbete, som korteligen afhandlar Plikter och
Skyldigheter emot Efterkommanderna, än Eder, som på et
så utmärkt sätt uti mig hafwen arbetat för en af Edra efter-
kommanders wälgång? Hjinten göre därföre Edra, samt min
Huldesta Moders dagar ännu många och sälla! önskar af in-
nersta hjerta

Min Huldaste Faders

Lydigste Son

JOHAN SUNDELIN.

PRÆFATIO.

Sicut DEUS est sapientissimus idemque Optimus; ita non tantum omnia aptissime disponit, sed etiam felicitati omnium tam actu existentium, quam eorum, quæ in theatrum hujus universi aliquando peruenient, jam e longinquo quasi prospicit. Omnibus igitur corporibus organicis aptitudinem & facultatem genus suum propagandi & conservandi inesse deprehendimus. Quamvis enim vegetabilia, quorum vita consistere videtur, in debito particularum fluidarum motu sensibus sint destituta, adeoque inclinatio illa speciem suam propagandi atque conservandi, quam in illis animadvertimus, sensualis non sit, multa tamen phænomena eandem plus quam Mechanicam esse, luculenter ostendunt. Breve quidem vitæ curriculum plerisque concessum est vegetabilibus: intra illud tamen spatium nascuntur, flores & fructus producant & semina, posteritatis suæ receptacula, molli & vivificanti terræ gremio ante committunt, quam emoriantur. Luculentius tamen negotiosæ Naturæ admiranda Oeconomia in animalibus cernitur brutis, quippe quæ magno sui amore ducta, magnam sui curam habent. Nec tamen intra hos limites includitur eorum amor & naturalis affectus, sed etiam ad eorum foetum ac prolem extenditur, cuius propagationi non solum quam maxime student, verum ad eandem sustentandam ac defendendam summo quoque feruntur impetu. In brutis autem animalibus quo confusior est istic nifus, eo tendit

tendit ad actum vehementius: rationis enim expertia solo sensuum reguntur impetu (a). Quanto autem ceteris animantibus præstantior est homo, tanto etiam majus est in ipso naturale studium; quo fit, ut non solum seipsum tenerrimo amplectatur amore, sed simul intensissimo generis sui propagandi & conservandi studio feratur, & quidem caritatis affectu, quo seipsum prosequitur. Nec hoc admodum est mirum, quum enim liberi partem substantiæ parentum circumferant, & hi seipsum in illis etiam post fatâ victuros contemplantur, non possunt non prolem suam impense diligere. Enimvero nec in homine sic rationi committitur studium sese conservandi, ut non in partes subinde etiam veniant sensus. Natura enim per sensus stimulante, producit, & ratione dirigente, temperatur isthoc hominis studium. Quemadmodum igitur bruta, quæ non rationem, sed ejus tantummodo analogon quoddam habent, sensuum impetu ducuntur; ita vicissim homo, ratione gaudens, non impetum hunc, sed ejus, ut ita dicam, analogon sentit. Adhuc bruta animantia fœtus suos post aliquod temporis spatium vix agnoscunt; homo autem mentis luce collustratus sollicitè comparat quicquid ad floridam & tranquillam generis sui durationem facere possunt. Quomodo hæc hominum sollicitudo ad genus suum conservandum tendat, & quænam hoc intuitu familiarum statibus incumbant officia, in præsentī opella ostendere constituimus. In antecessum autem Tuum B. L. ambio favorem, ita ut has ingenii mei primitias meliorem in partem interpreteris.

(a) Vid. Sallustii Libr. de Bello Cat. & Ciceronis offic. Libr. I. C. IV.

§. I.

Antequam ad ipsam argumenti tractationem accedimus,

mus, paucis explicanda sunt vocabula, quæ in frontispicio dissertationis nostræ comparent. Vidimus, quod homo præ brutis animantibus ratione sit instructus, qua DEUM, essentialiæ & existentiaæ suæ Auctorem, cognoscit, qua artes inuenit, qua partim vitæ commoda promovet, partim ingenii humani limites, a quali angustia ad quantam vastitatem extendit. Sed ea est natura humanæ indoles, ut injucunda sit, quia satietatem parit, præcox maturitas, quare juvat continuo crescere: prævidit igitur DEUS, felicitatem nostram intendens, optimum esse, ut a rudi quasi principio, adhibita diligenti cultura, ad insigne culmen confurgerent ingenii humani dotes. Ergo ne angustia temporis huic ostaret incremento, & ne Divinae laudis amplificatio arcto nimis inclusa foret ævo, constituit Creator, ut generationem exciperent generationes & seculo succederent secula. *Posteriores* igitur vocantur, qui ab aliis originem suam ducunt, & illis proinde ætate sunt inferiores. Verum posteritatis nomen adeo late sumitur, ut suo ambitu comprehendat non solum existentes, verum etiam nondum existentes, qui ut existant, successiva intercedat procreatio, necesse est. Porro quum homo libertate gaudeat, sese ad nihil determinat sine prævia repræsentatione boni vel mali, quæ motiva constituit, & ipso actu necessitatem quandam moralem ad agendum vel non agendum infert; quamobrem *Obligatio* non præter rationem definitur per *connexionem motivorum cum actione*. Quæ quidem definitio verbis aliquantum, sensu autem nihil discrepat ab illa, qua *obligatio* definitur per *necessitatem moralem ad aliquid agendum, vel non agendum*.

§. II.

Inter primas sensationes, quas homo in seipso experitur,

peritur, est studium felicitatis, ad quam obtinendam omnibus connititur viribus. Verum exoptata felicitas non semper præsto est, sed quærenda erit, atque ad illam per varios molestiarum gradus enitendum; quos omnes opportune superare singulis, sibi relictis, non æque proclive est, quamobrem societas inter plures ad communem aliquem obtinendum finem erit jungenda. Hinc patet, quod per sensum felicitatis, quem pectoribus nostris natura alte iniecit, homines ducantur ad societates ineundas. Tantum vero abest, ut per momentaneæ felicitatis fruitionem votis nostris sit satisfactum, ut potius illa lacunam magnæ solummodo ægritudinis relinquat; quamobrem diurnitati prosperitatis, quantum humana patitur industria, erit consulendum. Ad hanc perennitatem vero non solum præsentia societatis membra conducunt, sed etiam ad illam conferent alii socii, nondum quidem existentes, suo autem tempore existituri; quare societas complectitur non tantum membra existentia, sed etiam non existentia, certo tamen existitura. Eadem igitur motiva, quæ svadent & jubent, ut quisque hominum suam promoveat felicitatem, nobis quoque injungunt, ut in hoc studio rationem habeamus *felicitatis posterorum*. Sed in connexionione motivorum cum actionibus consistit obligatio, ergo generaliter patet, quod detur obligatio respectu posteritatis, siquidem futura nostra vel felicitas vel infelicitas in præsentia vitæ ratione fundata plerumque esse soleat. Præterea quum DEUS O. M. hominem eis facultatibus & viribus instruxerit, ut non solum sui similem relinquere possit, sed etiam tam suæ, quam futuræ liberorum ac posterorum felicitati prospicere queat, atque natura duce has curas putet suas esse delicias, ipse autem, qua eminet sapientia, nihil omnino frustra agat; igitur voluntati Divinæ sese conformiter gerit, qui *posteritatis curam* agit.

Sed

Sed motiva actionum nostrarum a voluntate Divina sumere debemus: ergo obligati sumus ad certa officia posteris præstanda. Adde, quod homo per Legem Naturalem obligatus sit ad gloriam Divinam promovendam, quod certe melius fit, si plurimum opera ad eundem collineet finem; quamobrem in id erit incumbendum, ut secutura etiam ætas ac venturi nepotes apti sint magnalium Divinorum præcones, adeoque præsentibus respectu posterorum certa incumbunt officia. Insuper quum primi parentes, uti credere par est, multam impenderint curam & prolixum studium, ut liberi eorum & nepotes ad exoptatam pervenirent felicitatem, pro quo labore debitas parentibus gratias referre, paucis omnino conceditur liberis; quod igitur mutuo quasi acceperunt hi a suis parentibus, hoc suis posteris ex officii tenore rependent. Immo quum misera omnino & deploranda prorsus foret hominum vita & conditio, non aliorum imprimis majorum suorum suffulta ope; singulis, quod demum cunque tempore viventibus injungi videtur, ut pari studio & opera in *suam posteritatem* ferantur, atque ad majorum exemplum rationem habeant suorum posterorum, nec minorem his, quam illi sibi, impendant curam.

§. III.

Ad specialia erga posteros officia descendantibus primum obvenit consideratio existentiae eorum. *Incumbit* igitur *unicuique per legitimum matrimonium suam propagare posteritatem, quæ sana sit & vegeta.* Natura enim nobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesque nos alendo, nepotum nutriendorum debito alligaverunt. Unde Phocylides:

Δός ἢ φύσει κ' αὐτός. Τέκε δ' ἔμπαλιν ὡς ἐλοχέσθης,
Da aliquid nature, & ipse gigne rursus, ut genitus es.

Contra-

Contrariantur enim rationi vagi concubitus, quippe quibus incerta nascitur proles, soli matri oneri futura, quæ illam nutrire atque erudire tenetur relicta: unde in publicum quoque serpit damnum. Hi enim liberi, ope atque instructione paterna destituti, inutilia plerumque redduntur non solum societatis, sed etiam humanitatis membra. Itaque uti secundum naturam est ad Venerem ferri, ita secundum rationem quoque erit, ut includatur libido illa intra limites iusti matrimonii, quod inire tenetur quisque, qui ejus commodam habet occasionem, id est, & ætatem facultatemque generandi, & uxorem prolemque nascituram alendi, nec non decentis in civitate conditionis copiam. Quamobrem legitimum est matrimonium, inter unum marem & unam foeminam ad sobolem procreandam & educandam initum. Enimvero liberi in ignorantia ac miseriarum luto semper hærebunt, nisi ad sanæ rationis usum deducantur: quamobrem parentibus per Legem Naturalem est injunctum, ut non solum necessariis atque honestis artibus & disciplinis liberorum imbuantur animi, ita ut rectitudini morum studere assuefiant, verum sanitas quoque corporis illorum diligenter curetur: adeo ut illis *sit mens sana in corpore sano*. Tam arctum enim est inter humanum corpus & animam vinculum, ut affectiones suas invicem sentiant; unde & corporis valetudo animi vigorem si non reprimit, attamen insigniter retardat, item animi vitia vires corporis labefactant. Sed ad sanitatem prolis imprimis conducit sanitas parentum: ut & horum valetudo illorum plerumque valetudinis est principium. Quid? Quod &, experientia teste, non solum, ut diximus, corporis, sed animi quoque vitia ex parentibus in liberos velut per traducem transferantur. Ete im juxta Poëtam:

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Itaque ante omnia incumbit parentibus, curare suam & corporis & animi sanitatem, quo illorum posteritas qua corpus & animum sana nascatur & vegeta. In quem finem circumcidendæ sunt voluptates, & morum decori vitæque rectitudini nunquam non studendum; siquidem ea omnia ad multiplicationem simulque ad sanitatem prolis plurimum faciant.

§. IV.

Enimvero homini satis non est, vivere, requiritur enim vel maxime ut bene vivat. Nova hinc emergit obligatio respectu posterorum, ut scilicet *disciplinas practicas sedulo excolamus, adeo ut in illis inveniant posteræ virtutum ac felicitatis civilis adminicula.* Sicuti enim a natura non ita generati sumus, tanquam ad ludum & jocum facti esse videamur, sed potius ad studia quædam graviora & majora; ita ante omnia studendum, ut tales per sedulam institutionem effici possint generati, quales ab ipsa natura destinati videntur. Verum quidem est, quod disciplinæ Theoreticæ tradant vitæ, cognitionis & artium regulas & dogmata utilia, attamen longius distant hæc ab ipso usu, quam Practicæ, quæ proxime ad fructum tendunt, quare nec illæ sunt negligendæ, & tamen in his præcipue exercenda est humana industria. Nam ars longa & vita brevis, quamobrem dogmata ab aliis tradita atque probata in suum convertere usum, compendiaria est ad felicitatem via. Pulchre igitur Seneca: *Non dat natura virtutem: ars est, bonum fieri.* Quæ cum ita sint, incumbit unicuique, pro occasione, posterorum ergo, literas quoque excolere; ut idem ait Seneca: *Posterorum negotium ago: illis aliqua quæ possint prodesse, conscribo: salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando, esse illas efficaces*

efficaces in meis ulceribus expertus (a). Et alio loco: Veneror inventa sapientie, inventoresque: adire tanquam multorum hereditatem juvat. Mibi ista acquisita, mibi laborata sunt. Sed agamus bonum patremfamilie: faciamus ampliora, quae accepimus. Major ista hereditas a me ad posteros transeat (b). Longam enim & multorum experientiam requirunt res utilissimae: multumque luminis atque bonae assuetudinis exposcit morum perfectio. Hoc idem de vitae commoditatibus valet. Enimvero nec singulos Philosophiae, Practicae operam dare permittit occasio & vitae genus; quae scientiae suos quoque poscunt eruditos: quare excerptat inde quisque, quod expedit, ad suamque rem promovendam atque augendam confert.

(a) Epist. VIII. (b) Epist. LXIV.

§. V.

Sicut reciprocus est hinc parentum illinc liberorum ac nepotum amor; ita etiam docet experientia, quod liberi nihil magis desiderent, quam ut parentes & majores in omnibus imitentur, atque imprimis res eorum gestas atque ardua amulentur facinora. Haec enim ipsa velut facem eis praeferunt, qua splendente, in honoris semita inoffenso progredi possunt pede, & ipsis factis ostendere, quod sanguis haud degener in ipsorum oscillet venis. Quamobrem etiam hoc intuitu a posteris motiva actionum suarum sument viventes, & proinde etiam obligati sunt operam dare, *ut praeclaris in patriam meritis inclarescant*, & lampada filiis suis ac nepotibus tradant. Docent enim annales, quod argumenta, quantumvis firmissima, non tam valeant ad convincendum, quam aliorum imprimis majorum exempla faciant ad imitationem. Rationes hujus obligationis, si praeter allas

tas quis desideret, sequentes accipiat: Una est, quod bona aliorum exempla nostros corrigant mores atque perficiant. Studium enim majores æmulandi accendit ambitio, quæ ad incitamentum virtutis homini est naturalis. Quod idem & his Seneca innuit verbis: *Magnanimos nos natura produxit, id est, gloriosum & excelsum dedit spiritum, querentem ubi honestissime vivat.* Et idem alio loco: *Habet hoc optimum in se generosus animus, quod concitatur ad honesta.* Altera causa est luminis judicii que in ætate imprimis immatura defectus. Unde naturæ maxime consentaneum est, ut pueri adolescentulique aliorum bene moratorum exemplis excitentur, velut Themistocles olim tropæis Miltiadis quasi expergefactus fuit: quod nec facere erubescunt adulta ætate illi, qui auctam cognitionem suam volunt. Itaque, cum ætas tenera non satis apta sit, quæ mala a bonis secernat, quia & credula illorum est ob judicii defectum discendi aviditas; omni certe cura efficient parentes, ut nonnisi probanda suis liberis edant vitæ documenta: & curet civis unusquisque, ut liberi ad ejus exemplum utilia aliquando evadant civitatis membra. Tanta enim, ut ex allatis patet, est exemplorum ad virtutem vis, ut nonnisi bonis moribus vigentibus, boni succrescant posterum.

§. VI.

Nobis quoque respectu posteritatis injunctum esse, merito censetur, *opera aggredi alia, quamvis ejus sint indolis, ut nonnisi per longam annorum seriem ad perfectionem deduci queant. Sufficit, quod posterum hinc fructum aliquando colligant.* Non enim id tantum, quod humanæ naturæ maxime congruit, par pari referre, incumbit unicuique; sed ea, quæ a majoribus accepit, aucta atque amplificata etiam posteris tradet: immo talia quoque aggre-

grediatur opera, quæ scit, nihil omnino aut parum admodum ad se pertinere (a). Huc pertinet, firma exstruere ædificia, urbes moliri, arbores serere, & reliqua, quorum usus qua istorum auctores exiguus aut nullus, qua posteros vero annorum & seculorum saepe plurium est. DEUM Optimum Maximum hic imitetur homo, qui non modo existentia atque ratione hominem donavit, sed etiam innumeras creavit & sustentat res, quas ad suam utilitatem & delectationem convertere potest. Quid autem pulchrius, quam magni beneficii esse auctorem? Et quid magis in homine laudandum, quam quod curam posterorum agat etiam in eis, quæ nihil ad se pertinent? Quamobrem vel decrepita senectus, mortem impendentem quotidie expectans, vel incertum homini vitæ spatium (b), tantum abest, ut ab his operibus moliendis aliquem deterreat, ut potius reddat eum magis in istis operosum & negotiosum, quo minus restat vitæ spatium. Tali enim incitante stimulo a primæva sua simplicitate priscaque ruditate, humano genere se multiplicante, ad hodiernum decus & emolumentum simul crevere res vitæque commoditates; quæ, quamdiu existit humanum genus, in perpetuum quoque crescent. At quarat forsitan aliquis, quæ sint valida ad insigne hoc officium, quo salus posterorum haud mediocriter promovetur, exsequendum rationis incitamenta? Cui hæc duo reddo. Unum, quod his, de quibus diximus moliminibus, multis atque amplis, immortale nomen haud difficulter acquiratur; & paucioribus illis attamen pro cuiusque viribus præclaris meritis, memoria longe duratura. Quod clarum evadet unico exemplo clarissimi & nobilissimi POLHEIMI, qui tantæ aggressus fuit perfectique opera, ut nullum, quantumvis edax tempus memoriam ejus obliterabit, sicut fructum inventorum ejus, mechanicorum omnis percipiet posteritas. Cum itaque

(ut verbis utar Sallustii) *omnes homines summa ope nihil decet, ne vitam silentio transeant; & vita, qua fruimur, brevis est: nihil sane erit homini honestius, quam præclaris hisce factis, & magnis in posteros meritis, nomen suum beneficentiæ fastis inscribere, & post fata viventibus prodesse. Quod idem non de hoc solum officio, sed de aliis quoque erga posteros præstandis, valet. Alterum incitamentum est, quod posteri ad nos pertinent, atque amoris & caritatis vinculis nobiscum artificissime sint conjuncti. Hinc etiam concludit & fatetur Cicero: Multos præstantes viros vix tanta conatos fuisse, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. Et paulo post addit: Multos veterum Romanorum elaborare in eis, quæ sciunt nihil omnino ad se pertinere: serunt arbores, quæ alteri seculo profint. Nec dubitat agricola, quamvis Jænex quærenti, cui serat, respondere: Diis immortalibus, qui me accipere hæc non modo a majoribus voluerunt, sed etiam posteris prode.*

(a) Cic. de Senect. VII. (b) Ib. XIX.

§. VII.

Denique quum liberi & nepotes in theatrum hujus mundi prodeant nudi atque egeni, mox diem suum obituri, nisi beneficæ aliorum manus miseriam eorum sublevaverint; igitur respectu posterorum hoc nobis est injunctum, ut *opes honesta ratione acquiramus, ut posteri habeant, quo se sustentare & statum suum conservare possint.* Opus est cuique homini ad famem sitimque sedandam, corpusque velandum, victu & amictu: ad aëris injurias arcendas, domo: ad molestias vitæ sublevandas, aliis commoditatibus. Ad quæ omnia acquirenda, non sufficit per se liberorum cura, nisi a parentibus quoque suis
 substi-

subsidia vitæ nacti sunt. Adde, quod si præmatura morte, nullis relictis opibus, parentes deceaserint, in extremam miseriam liberi pierumque devoluantur. Ex quibus apparet, quod parentes sint obligati ad opes omni cura atque industria in usus posterorum acquirendas. Insuper prævia experientia constat, quod opibus destitutis & rerum penuria laborantibus longe difficilior sit occasio, pulchras artes addiscendi perveniendique ad honores, juxta illud Poëtæ:

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.*

Præterea cum in civitatibus ratio conditionis quoque & status, in quo collocati sumus, habeatur, adeo ut qui honoribus funguntur, cultu debeant esse lautiori, accedit ad facultates, posterorum ergo comparandas atque augendas nova obligatio. Nec in fortunis suis augendis id hominem deterreat, quod fortuna sit admodum mutabilis, quæ ubi semel divortium fecit, omnia sua secum auferre solet. Sit enim DEO Creatori atque Reçtori hujus universi sapientissimo, ut in cetera omnia, ita & in res nostras summum (ut pulcherrime insignitur Fennico proverbio: Luojalla on oimen ohjat) regimen! Et quoniam id, quod sine nostra culpa perdimus, restituere non tenemur, omnis absit præsumta anxietas, idque eo magis, siquidem in civitate bene constituta, opibus imminutis, novas acquirere datum est. Quamobrem nihil obstat, quo minus opes nostras honesta ratione, id est, neminem lædendo, augere conemur. Eum quoque in finem circa bona dispensanda non licet ita versari, prout quemque sua trahat voluptas, ac singulorum impellit desiderium; verum potius frugaliter, atque intra ipsius naturæ desiderium eis erit utendum,

dum, nec alio prorsus modo, quam jure veluti usufructuario, ut ipsa substantia, in quantum fieri potest, maneat salva, ne posteritati desint necessaria, ac per parentum & majorum suorum nimiam luxuriæ indulgendi cupiditatem, nepotes in miseram & egenam vitæ conditionem redigantur. Sed in portu jam navigantes, vela contrahimus. Faxit DEUS Optimus Maximus, ut hæc lubricationes nostræ qualescunque in aliorum tendant utilitatem & ultimato

In Sanctissimi NOMINIS Ejus Gloriam.

